



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1702. usque ad annum 1708

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1781**

**VD18 13322648**

§. 30. Capitulorum Ultrajectensis & Harlemensis oppositio contra S.  
Congregationis decretum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67633](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-67633)

Sæc. XVII. ciscus: Hæc electio Andegavensi Duci  
 A.C. 1703. adeo grata erat, ut propterea ad Pa-  
 pam gratulatorias perscriberet literas.

## §. XXX.

*Capitulorum Ultrajectensis & Harle-  
 mensis oppositio contra S. Con-  
 gregationis Decretum.*

*Acta Histo-  
 rico Eccl.  
 vol. 7. p. 98.  
 Abregé de  
 l'Hist. Eccl.  
 t. 13. p. 586.  
 Abregé  
 Chronol. t. 3.  
 pag. 514.* Jam supra meminimus, quod Ultra-  
 jectenses Canonici, qui se Cathed-  
 ralem hanc Ecclesiam Vacante Sede  
 repræsentare dicebant, Coddeum Se-  
 bastenum Archiepiscopum ad Provin-  
 ciam Episcopi Ultrajectensis obeundam  
 delegarint: cum autem ea res in sum-  
 mi Pontificis, qui Coddeo exauktorato  
 Cockium subrogaverat, contemptum  
 redundare videretur, hinc Sacra Con-  
 gregatio propagandæ fidei negotiis  
 præposita die tertia Februarii decre-  
 tum edidit, quo administrandi Sacra-  
 menta potestatem a *prætensis* Capitulis  
 Ultrajectensi & Harlemensi concessam  
 omnino irritam nullamque esse decla-  
 ravit, eisque sub anathematis ipso  
 facto incurredi pœna inhibuit, ne ul-  
 lam jurisdictionem exercent; Ultra-  
 jectionum enim Capitulum jam ante cen-  
 tum annos interciderat, omnesque  
*prætensi* Canonici Ecclesiasticis censuris  
 fuerant irretiti: Nihilominus utrius-  
 que

que Ecclesiæ Pseudo - Canonici suis Sæc. XVII.  
juribus enormiter derogatum rati, re- A.C. 1703.  
*medium appellationis ad Pontificem melius*  
*edocendum arripuere, ac Mense Martio*  
datis ad eundem literis rogabant, ut  
eos indicta caufsa damnare nolle: Ve-  
rum Pontifex, cum centenaria horum  
pertinacia contra Pontificias Constitu-  
tiones nimis luculenta esset, ad foede-  
rati Belgii Catholicos literas dedit, in  
quibus prætenos hosce Canonicos omni  
jurisdictione destitutos declaravit, eis-  
que sub excommunicationis poena in-  
hibuit, ne sese sacris harum Ecclesia-  
rum ministeriis ingererent: Enimvero  
Canonici Papam quamplurimis libellis  
supplicibus, & Cardinales scriptis juris  
sui vindiciis diu frequenterque fatiga-  
bant, quibus tamen semper responsum,  
ut prius Sedis Apostolicæ mandatis  
obtemperarent. Tandem vero anno  
hujus saeculi quinto Bussius Bruxellensis  
Pontificius Nuntius in Hollandiam pro-  
fectus, Cardinalis Paluccii literas detu-  
lit, quibus declaratum, quod Coddeus ob-  
rationes partim universo orbi notas,  
partim, ut ejus famæ parceretur, si-  
lentio suppressas, suo officio amotus  
esset: paulopost Hagam Comitum de-  
latus cum pluribus utriusque Ecclesiæ  
Canonicis egit, ac Trevirensis Archi-  
episcopi Legato plurimum conferente

G 5

eo

Sæc. XVII. eo rem deduxit, ut annuente Cod.  
A. C. 1703. deo Gerardus Potcampus Vir gravi  
 senio venerandus, pacisque studiosissi-  
 mus in Vicarium Apostolicum eligere-  
 tur, quo tamen post bimestre defuncto  
 Bussius Coloniensis Ecclesiæ Canoni-  
 cum nomine Dameum subrogare nite-  
 batur, obſtiterant tamen utriusque Ec-  
 clesiæ Canonici, qui alios elegere Vi-  
 carios, ut vocant, Generales, datis  
 quoque ad Paluccium Cardinalem lite-  
 ris, in quibus audiri, ac in sua patria  
 a Judicibus legitimis judicari postulan-  
 tes declarabant, quod quamvis jus  
 suum omnino certum, ac minime du-  
 bium crederent, si tamen hi Judices  
 illud minus firmum esse censuerint,  
 sine hæſitatione ab illius defensione de-  
 fistere parati effent. Sequenti tamen  
 anno Pontifex hujus Ecclesiæ regimen  
 Julio Piazzæ Coloniensi Nuntio com-  
 misit, vehementer reclamatibus Cano-  
 nicis, quorum contumacia interminato  
 anathemate nonnihil repressa est. Fer-  
 vente autem hoc tumultu Jesuitæ Bre-  
 stensem Parochiam armata ferme manu-  
 fibi vendicarunt.

## §. XXXI.

*Abissini unacum Rege suo Ecclesia  
 Romanæ reconciliati.*

Flo-